

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

August Varenius

**Augustus Varenius, SS. Theol. D. Hebraicorum ... Panegyrin Oratorium Syriacum,
[...] Seu Passioni & Morti Jesu Nazareni Regis Judaeorum**

Rostochii: Kilius, 1658

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn772394652>

Druck Freier  Zugang



R U. Med. 1688

August Vaterius Programma
Prof.: Peter Vogt.

8



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn772394652/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn772394652/phys_0002)

DFG

66.

AUGUSTVS VARENIUS,
S. S. Theol. D. Hebraicorum & Ca-
tches. Christ. in Univers. Rostoch.
Profess. Ordinarius.

PANEGYRIN ORATORIAM
SYRIACAM,

לכונתא זוקיפ
דושוע נצראו מלכא ריהוּ־
בְּנֵי

PASSIONI & MORTI
JESU NAZARENI
REGIS JUDÆORVM,

ab

ALBERTO Vogt Lipstad. Westphalo

Philos. & artium Magistro Clarissimo,

S. S. Theol. Cukore floridissimo,

Die 7. April. ab hor. 9. in Auditorio majori consecrandam,

publicè intimat



Et ad illam præsentia Ordinis nostri Academicis magis
insigniendam reddendamq; simul JESU PATIENTI ET SUO
NOS SANGVINE LAVANTI debitam Eucharistiam, Magnificum
DN. RECTOREM, admodum Reverendos, Amplissimos, Consul-
tissimos, Experientissimos, Excellentissimos, Clarissimos Dominos
Professores, Doctores & Licentiatos, Verbi Divini Ministros, Opt.

art. & Philos. Magistros, Præcellentes item & Nobilis-
simos Dominos Studiosos,

et quā par est, reverentiæ & humanitatis, convocat.

ROSTOCHII, Typis Hæredum NICOLAI KILII, Acad. Typ.

ANNO M. DC. LIIX.

¶

Pectaculum jucundissimum, & auro
contra non carum est, pervidere,
quibus gradibus processerit seculis
proprioribus, per vindicatam, post te-
naces retrò tenebras. caelitis do-
ctrine authenticæ, & cum illâ Lingvæ
primæ, majestatem, temporum emen-
datio, & quomodo ad hanc procuran-
dam, non illi solum, quibus in Academias
de superiori loco mysteria fontium Auditoribus publicâ voce dis-
tribueremunus est, sua Symbola liberaliter dederint: sed &
hic illi Synergistæ insignes fuerint, quos, sive illustris in Palatio
Principis militia, sive ipsa, in quâ vixerunt, relegio discreta, &
minus Fontibus authenticis benigna, à magnis circa Codicem sa-
cro-sanctum fontanum Vc imprimit, Testamenti, meritis & ex-
emplis dimovere poterat. Amores Lingua Mater sibi facile con-
ciliare, omnesq; Osores in ruborem ac verecundiam dare toti-
ens potuit, quotiens illijare suo profiterilicuit, se Linguam Dei,
que & ipsi Creatoricæli & terra, & toti Universitati creaturarū
prima dederit nomina, se Linguam Doctoralem Crucifixi, &
regalem JESU exaltati, se Linguam Angelorum, my-
riadibus, Linguam Adami, Patriarcharum omnium, Prophe-
tarum & ceterarum omnium, tot ac tantorum Herorum,
Judicum, Regum & sine pari Doctorum, quales illi ante-
diluviani, se Linguam olim per 16. Secula Monarchicam,
posthac in tentoriis S. E. M. I., vernacula, aliarum omnium
Matrem & Reginam, Mysteriis caelitis sapientie describendis
audirentur primò dignatam, se Linguam Sinai, & Sionis, se Lin-

guam

quam Paradisi, se Lingua m̄ triūfalem Ecclesie primogenitorum in cœlis conscriptorum. Magnum amoribus illis incrementum accessit ab authenticis Mose & Prophetis, seu augustinis illis mysteriorum divinorum Pandectis, quarum, uti, præter custodiā tutissimam, Consilium Sioni Catholice, hujus armis semper invictæ, fuit necessarium: ita veris thesaurorum, qui in eternitatem eunt, estimatoribus, Regibus etiam & Principibus amor fuit, ac omnes coronas seculi longè transcendens suosq; cultores cœlestibus choris inferens, delitum. Lachrymas uberrimas, Josepho teste, præ gaudio olim profudit Ptolomeus, et si gentilitia superstitione hactenus Rex immersus, ad descriptos elegantiissime libros sacros sibi ab Interpp. porrectos: quid non honoris sacratissimo codici debent Reges Christianis sacris iniciati? Danielis, et si magni in Babyloniorum aut à purpurati gloria fertur, quod fuerit consultor Propheticorum Codicūm. David autem, et si Majestate Sceptrorum nullo Regem minor, quanti Consilium Legis Hebraicæ estimaverit, aperiè professus: Gratior, inquit, est mihi doctrina oris tui, quam aurum & argenti mille pondo: ad quam Regalem Confessoris au-pueri gav, Rabbinus quidam nomine Josse ben kisma in pirke Avoth voti hanc absurde rationem his verbis expressit: שׁבשׁ עַזְלֵךְ פְּתִירָתוֹ שֶׁל אָדָם אֲזֶן מְלֹוִין לוֹ לְאַדְמָה לֹא כִּכְפָּר וּלֹא זָהָב וּלֹא אַבְנִים טֻבּוֹת וּסְרָגְלוֹת אַלְתּוֹת וּזְבּוֹת illa, ubi ex hac vita decedit homo, non aurum, argenteū, lapides pretiosi, margaritæ: sed tantum studium verbi Divini horum enim comitatur, qđ idem Rabbinus ibidem ad consilium SAPIENTIÆ, cuius Interpres Salomo cap. 6. 22. his verbis commendat studium quod vocat, LUCIS ET LUCERNÆ, s. Præcepti & Legis i.e. Scripturarum: בְּחַחְלֵךְ חַנְחֵךְ אַוְתֵּךְ בְּשַׁכְּבֵךְ יִשְׁפַּר עַלְיָךְ וּקְרִיאָתְךָ הַיּוֹחֵךְ i.e. cum deambulaveris, verbum Dei, seu Lex deducet te: ubi dormies, custodiēte; cum evigilaveris, ipsa (Lex) loquetur tecum,

בְּעִילָה
tecum, paraphrasintalem dedit: cum ambulaveris (בְּזַהֲזֵה / in præsenti seculo) ducet te: cum dormieris (in se-
pulcro / in sepulcro) custodiet te (וְשָׁתָּא in sepulcro) cum evigilave-
ris (לְעוֹלָם רָבָן) ad futurū seculū, illa tecum (vel, pro te)
loquetur. Sed ad institutum. Tempus ampliū tenebrarum
supra nominavi: Fuerit unus miraculum Hieronymus: sed
illo seculo. Et bibit ille à Judæis Magistris errores cum lacte.
Post Hieronymum autem heic plurima mortis imago. Deposit-
arii quidem fontium per tam prolixam noctem & Judei &
Christiani: sed, quod depositum manserit illibatum, dum in u-
trumvis aurem dormivere illi Magistri sacrorum sciniorum
uni cœlesti providetia humili reverentia imputadū. Quid n. hic illi
Proselyti, Nicolaus de Lyra, Paulus de S. Mariâ Episcopus
Carthag. inde Burgensis & Regis Castellæ Cancellarius,
uterque delirus aliquibi insigniter, & fabularū cōsarcinator fæcun-
dissimus? Eminuere, cum jam gloria vindicādis fontib⁹ emen-
datio temporum sive immineret sive procederet, decora ingenia
JOHANNES REUCHLINUS JCius, Maximil. Imp. Consiliarii,
ALBERTUS WIDMENSTADIUS, Ferdinandi Imp. Cancella-
rius, Santes Pagninus inter DOMINICANOS incomparabilis
Hebreus, Franciscus Vatablus, Parisiensis Professor Hebreus,
Johannes Forsterus, Paulus Fagius sed vel maxime Sebastianus
Munsterus. Audiamus hunc novissimè nominatum ex
notis in c. 45. Genes. Nemo, inquit, Christianorum, tempo-
re Josephi conabatur discere linguam Hebraicā, etiam
qui vicini erant Judæorum regioni, sicut nec post Apo-
stolos inter Christianos quisquam repertus est ad usque
nostra tempora, qui calluerit hanc linguam, præter pau-
cissimos, eosq; majori ex parte à Judaismo ad Christum
conversos. Agnoscamus ergo bonitatem Dei, qvī hoc
novissimo & corruptissimo tempore nobis aperuit oculos,
ut Prophetas & totam V. T. scripturam in illo ipso
fonte

fonte & legamus, & sincerius intelligam̄s, quām Judæi
ip̄i, super quorum oculos velamen est positum in Lectione
veteris Legis. Vide quām brevi tempore hujus lin-
guæ studium apud Christianos tanta incrementa suscep-
perit, ut etiam hodie passim in Academiis instituti sint
Professores, qui eam Linguam & S. Scripturam in ipso
fonte doceant. Quām male illud habeat Judæos, no-
vetunt hi, q̄i cum eis miscent colloquia, habentq; con-
versationem. Neḡ. tacendus hic Fr. Ximenius, Archiepiscop⁹
Toletanus, qui ad immensarum opum levendarum invidiā,
& exercitum, quo FERDINANDUS Hispaniarum Rex Olanum
in Africā cepit, conduxit, & ut pietati aliquid redderetur,
Opus Complutense, pretiosissimum ante 140. annos emisit in pu-
blicum. Cæterum, ne in sacrā prodigalitate infra subditum
Rex Catholicus esset, bujus autoritate processit post 80. annos
Opus Biblicum, quod vocant, Regium Hispanicum. Scili-
cet verba sunt Ben. Ar. Montani, Regis Hispan. Confessionarii,
q̄yoniam exemplaria Complutensia propter miram co-
rum paucitatem & raritatem desiderabantur, hoc in ope-
re non modo instaurata; sed multis etiam partibus au-
cta, integrata, locupletata sunt. Nam integras Chalda-
icas in Vet. Test. paraphrases & Syriacæ in Novo lectionis
libros, eosq; commoda latinarum interpretationum
eopiâ instructos opus hoc PHILIPPI II. Hisp. Regis,
Complutensibus addidit, & q̄od ad Lectionis & senten-
tiarum distinctionem & explicationem plurimum con-
fert, accentus omnes Hebraicosq; apices diligentissime
observatos adjunxit. Tam Vasto Operi quos praefecerit pie-
tas Purpurati Catholici, testatur Academia Lovaniensis in epि-
stola ad Pontificem Romanum his verbis: Lovaniensis Aca-
demiae DD. Theologis una cum D. Benedicto Ariâ Mon-
tano Hispanensi Doctore Theologo, cum propter singu-
larem

larem ejus eruditionem, tūm propter peregrinarum lin-
guarum eximiam peritiam, ad hanc functionem electo,
& ex Hispaniā autoritate Regiā Antwerpiam missō, Ca-
tholica maiestas horum Bibliorum recognoscendorum,
corrigendorum, approbando iūrōque munus commisit.
Tempus tanti laboris ignorare quoq; nos hanc voluit Arias Mon-
tanus, qvando in Oratione ad Pontificem: Fuius, inquit, in
labore per 4. integros annos à 15. Maii anni 1568. usq; ad
ultimum Martii anni 1572. Ita se habet pietas in Hispaniā
Catholicorum, qvā ne minor esset in Gallia Christianissimo-
rum, processit hanc ita diu, pompā majori Opus Gallicum, in quo
Arabica, Syriaca Vt. Test. & Samaritana versio superioribus
acesserunt: sed & fertur Anglia parturire (dubium quando
paritura) grandius his monumentum. Uti pietatem Princi-
pum, & patientiam pariter ac sedulitatem quorundam Collabo-
ratorum commendandam hanc negarim: ita Pietati & Ecclesiæ
immensis illis sumtibus & Vastis Biblicis operibus, ex pretii ma-
gnitudine satisfactum hanc dicere ausim. Scrutatori fontium
tenue admodum ex versionibus illis adjutorium quia & versiones
saltē sunt, & Romana alicubi fide mercantur. Vulga-
ta autem & Graeca, eque versiones, & corruptæ, vulgo possi-
dentur. Magna charta & metaphrasis multiplicata pompa &
precio exaggerando multum, conservandis puris fontibus parām
ministrant, pro quorum tamen gloriā preprimis militan-
dum erat, adeò ut Principis illius, qui ministerio Doctorum cura-
ret libros Vt. Test. seu ipsos fontes Mosis & Prophetarum ele-
ganti charactere Hebreo accurate, sublatistūm literarum, tūm
in primis Punctorum Vocalium & Accentuum erratis Typogra-
phicis, iisq; alicubi pertinacibus, publicari, pietatem, et si incom-
parabilitē minus sumtuosam, religiosæ illi & diffusæ prodigali-
tati longè ausim preferre. Sane debent hic Ecclesiæ, quod
nondum exsolverunt. Et metuendum, ne in aliquā
inferni regione pœnas latat Cardinalis Ximenius, qui au-
dacler

dacter accentus divinissimos, sine quibus erratur in infinitum;
ac si Rabbinorum quoddam essent commentum Musicum, expun-
xit suā Compluto, & ipse, tunc Latro, hanc dubitavit mysterium
crucis ipsā ordinatione ita explicare, ut Vulgatus Latinus au-
thenticus Rome, stans inter fontes Hebreos & Interpp. Gracos
repräsentaret CHRISTUM pendentem inter duos La-
tronos. Arias Montanus autem religiosor longè splendidissimo-
rum in Firmamento Biblico syderum speculator, dignum Catho-
lico confessionē edidit his verbis: ACCENTUS ad sententia-
rum distinctionem ac Explicationem plurimum confe-
runt: item, ACCENTUS NUNQUAM PERIRE CHRISTUS
PATIENTUR. Agnovit privilegium fontium exhilarantium civi-
tatem Dei, quando in Pref. Masora hæc scripsit: Masora, in-
quit, se thesaurus ille traditionalis tantā diligentia olim,
rantaq; cura est conservatus, ut nullam vel minimam in
variis exemplaribus distantiam admisisse, vel à perspica-
cissimo alicujus ingenio deprehensum unquam fuerit, ut
divinam prouidentiam sacerdotum Bibliorum integrati-
tati perpetuò assisterent: hinc probare liceat. Sunt
nobis Integra Biblia Hebraica manuscripta ante annos,
ut scriptura indicat, quadringentos. Sunt in Bibliothecā
Complutensi nostris antiquiora: Vidi mus Mediolani
apud Dominicanos optima & antiquissima Exemplaria,
in quibus omnibus constantissima, & sibi omnino con-
sentiens Masora est ascripta. Hæc, qvicunque attente
legerit omnia, intelliget, vel temporum injuria, ut crede-
re par est, vel judæorum invidia (ut quidam accusare vo-
lunt, qui tamen neq; Autorem, neq; tempus, neq; argu-
mentum certum, quamobrem id fecerint Judæi, indicat)
non tantam calamitatem esse allatam, qvantam apud hu-
jus Masoræ antiquissimæ ignaros exclamari audimus.
Fatetur autem ibidem in Opere Regio: diligenter Accen-
tus

tus omnes Hebraicosque apices observatos: Optandum
rem ita se habere, & jure suo de Fontibus Hebraicis idem dicere
potuisse, quod in Oratione apud Pontificem Romanum Legatus
nominis Regis sibi Catholicis fidens animi de cætero profiteri veri-
tus haueat: EGO Benedictus Arias Montanus, Sacerdos
omnium minimus, homo Catholicus, offero Sanctitati
Vestræ Biblia ipsa à me à prima pagina ad ultimam usq;
diligenter Græcè, Latine & Chaldaicè perfecta, & cum
exemplaribus fidelissimè collata, tantâ fide, ut non so-
lum, si verbum aliquod depravatum deprehendatur:
sed, si vel unus apex, aut iota unum, in illis merito deside-
retur, ego ipse perpetuam ignorantia & negligentiæ no-
tam velim subire, meq; unum omni correctioni obnoxi-
um exhibeam.

Illa Orientis Sanctioris malizie et erroris, temporum
nostrorum, supra quam merebatur *γένεσις οἰδηποτε*,
felicitas, jam pridem per potentium flammamarum
& castissimarum delitiarum insinuationes occu-
pavit, &c, ut heic quoq; emendationi temporum
per amplianda Sionis pomœria consuleret, a-
nimavit Cupidissimum Anatoles antique Virum D.N. AL-
BERTUM Vogt/ Lipstadio- Westphalum, Philos.
Mag. clarissimū, pie patis, modestiæ, accuratioris eruditiois per
pulcherrimas specimena, & vel ipsius, quam obvias ulnis, quia me-
rebatur, porrexit Ampliss. Ordo, laureæ decus, manifestum, me-
ritissimoq; nominandum שמי'ה למלכיה רתתלפְר שׁרָא רִמְלָא אַיִלְןָ רַהֲתְרֵסְדָּה להוֹן:
qvo nomine vel
nunc amplissimæ Patriæ gratulamur. Et in Ana-
tolia quidē Propheticā, & Matre Hebræa, qvid va-
leant humeri, publicavit in Isaiano nostro publi-
co an-

co ante annum Disputator. Nunc Anatolen verma-
culam Gentilibus JESU NAZARENI, eandemq; in tot ho-
miliis רְשִׁיחָה לְשָׁנָה s. Dialectum MESSIAE Oratoris,
quam Syriacam vocant, et si non illam veterem
Mesopotamenam Arameam, publicaturus, prodit Ora-
tor Syrus, dicturus die, horâ, loco præscriptis,
אֶת קַיִן וְקָנוֹן כֵּבֶשׂ יְשֻׁוּבָה s. JESUM MESSIAM ut CRUCIFI-
XUM, Reliquias JESU patientis jactat Papismus.
Fabulatur Metaphrases in Teratologiis fœcundissi-
mus, & ex illo Baronius, exceptum à B. Virgine ad-
stante cruci correntem cruentem & aquæ, profluen-
tem ex aperto per lanceam latere (dextrum suisse
dicit Arabs: sed non probat) JESU προσκότονος: inde
tot ostētata vascula sanguinis Crucifixi, qvæ hypo-
thesibus de sanguine JESU sive omni, sive quodam saltem
non hypostatico, sustentant durus Durandus, Richardus Ga-
briel, Cajetanus, Gregorius de Valentia (saniorata hic lo-
quente Thoma) dubisi an magis culpandi, qvam
qui ex Genevensi Scholâ scripserat: Sangvinem illum
Christi pustrefactum in terram esse conversum, qvam crassā
πλυξει γυμνάνη ex privilegio incorruptibilis illius
fuentis sacramentalis destruere, præsentis haut est
instituti. Constantiores reliquias de patrimonio
Crucifixi, ad illum montem myrræ & collem thuris, ad
qvem extra castra, totus cruentus processit noster
Cruciarius Jesus, qui sc. inferendus erat sanguis Sancto
Sanctorum, nobis ostendit Syrus. Nomen ipsi loco

B

saci-

sacrificiali adscriptum τολυθά. Ita sane καλλεόνε Σύρων σόμα: at de illo disputationes Maldonati, Baronii, Casauboni, in quibus movetur Calvaria Adami, & confunduntur savages & σκολέψ discrete Gracis, expedit Syrus, memorāς: דמותה נזולתא, Meminit Evangelica historia ante auditam Crucifixi vocem: SITIO, datam crucifigendo accelerandæ morti potionem Vini Myrrhati, sed (qved crudele Stratiorum temperamentum erat) immixto felle, ut ita & offerretur οὖτις μετὰ χολῆς μεμιγμάτων Matth. 27. 34. & οὖτις μεμιγμάτων Marci 15. 23. Illam potionem מרים, seu in monte Myrrhe, non vini myrrhati: sed vini in vase myrrhino tuisse, nugatur Baronius ad A.C. 34. qvem retellit Casaubon exerc. 16. p. 447, profligat Syrus reddens illum οἶνον ἐπιμηγμάτων per vinum cui intermisita est myrrha, זבילה למשחה חמרא וזרית ביה מורה. Scripturam crucis JESU in capite non tacent Evangelistæ. Τίτλον vocat αὐτόπλιθος Martyr Johannes c. 19. 19. 20. Illustrat Syrus egregie dū describit per נזרוֹת לוחה רשותה רישוע נזרוֹת si tabellam in qua sc. fuerit descripta causa mortis JESU NAZARENI, conf. Matth. 27. 36. & Joh. 1. all. Rugiit in cruce Jesus Orator & Precator Hebreus. Audita vox: ELI, ELI & quæ sequuntur in hymno Crucifixi. non sine reliquiis Syriacis expressere illud tonitru primariarū precū, tūm in אלהי אלקי tūm in voce שבקתנו Matth. 27. 46. & Marc. 15. 34. Non tacuit Pro-

Propheta scrutator temporum τῶν παθημάτων JESU
(vid. i. Pet. 1. 15.) illud חקר quo licitatus osculator impudentissimus, & Scarabæus impurissimus caput Creatoris: numeravit סוף שלשים Sach. 11. 13. quos, ut videas, nec falsos Prophetas, nec fellisse, Evangelista historicus numerat ἑβραῖον δέκανον Match. 26. 15. Illis infamibus nummis agrum Hierosolymis proximum, sepulturæ advenarum ad festa panegyrica confluentium destinandum, ab Archipresbyterio Hierosolymitano emitum, translato ad emtores directo quoq; dominio (unde illos 30. argenteos, allegato Eliâ Levitâ, 30. libras argenti vel 360. Unciales æstimat Baronius) דבָּנָה sanguinis agrum, æternum infamia & Judæ & Judæorum monumentum, vocat Lucas, Syrorum certè dialecto Act. I. 19. Hæ sanè reliquiæ sanctiorem scrutinii materiam dare poterant, qvam illæ Papales. Licet a. in versione N. T. Syriacâ alicubi c. c. I. Tim. 3. 16. Act. c. 20. 28. dentur quadam metaphraseos pericula, quomodo circa ipsum vestiarium JESU, accuratissimum, quia planissimè respondit complementum, testimonium Davidicum, in quo & Schismatis militaris, quoad vestem JE SU exteriorem, & sortium jactarum ad τὸν χιτῶνα ἅππαφον seu vestem interiorē, discreta sit mētio, male à Syro interprete Math. 27. 35. (vid. ibid. Trem.) neglectū, manet tñ, & Filiz Linguz, & versioni, qvam

quam meretur, autoritas, salvâ & fontium & Linguae Matris eminentiâ. Et instandum, ut qui se ~~aut~~ ~~ot~~ ~~an~~ accuratioris & antiquioris Translationis Syriacæ testatus publicationem jam diu promisit, satisfaciat stipulationi. Sed de hujus Dialecti dignitate pluscula alibi, & vel in ipso, quod ante annos 14. cum in illâ Linguâ Oratorem nostræ Academiæ, cum applausu **בִּשְׁרַפָּה**, daret, nunc Collega & Compater honoratissimus Vir admodum Reverendus, Amplissimus & Excellentissimus DN. BERNARDUS GOŠMANNUS, S.S. Theol. D. & Phys. ac Metaph. Prof. celeberrimus, vel propterea, quod præsens noster Oratorius illi & Præceptor & Promotori plurimum debeat, ne quaquam heic tacēdus, publicavimus. De cœtero eloquuntur ipse sacrû **JESU** nostro **Crucifixo** Syriacum, ad qvem benivole audiendum, ipsumque actum decora præsentia magis illustrandum, Magnificum Dominum Rectorem, celeberrimos Dominos Professores Collegas, Excellētissimos Dominos Doctores & Licentiatos, Reverendos Verbi Divini Praecones, Clariſſimos Philos. Magistros, Nobiliſſimos & Pretiosiſſimos Dominos Studiosos, omnesq; Orienti, quondam, cum Patriarchalis & Propheticus esset, Sanctiori, qvām nunc, ubi gemit sub Barbaris, farentes, reverenter & officiose invito & voce publicâ convoco.

P.P. DOM. Palmarum Anno à nocte
Bethlehemiticâ nati SALVATORIS
cl 10 c LIX.

• \$:) o (: \$ •

1658



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn772394652/phys_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn772394652/phys_0016)



dacter accentus divinissimos, sine quibus erra-
ac si Rabbinorum quoddam essent commentum
exit suā Compluto, & ipse, pantes Latro, hanc dub-
eruicis ipsā ordinatione ita explicare, ut Vulg-
theatricus Romae, flans inter fontes Hebreos
representaret CHRISTUM pendente-
tronē. Arias Montanus autem religiosior long-
rum in Firmamento Biblico syderum specula-
tico confessionē edidit his verbis: ACCENTU-
rum distinctionem ac Explicationem p-
runt: item, ACCENTUS NUNQUAM PER-
PATIETUR. Agnovit privilegium fontium ex-
tatem Dei, quando in Pref. Masora hæc scrip-
quit, seu thesaurus ille traditionalis tanta-
raneaq; cura est conservatus, ut nullam
variis exemplaribus distantiam admisiss-
eissimo alicujus ingenio deprehensum ui-
divinam prōvidentiam sacerdotum Bibli-
tati perpetuo assistenter: hinc probare
nobis integra Biblia Hebraica manuscri-
ptū scriptura indicat, quadringentos. Sun-
Complutensi nostris antiquiora: Vid-
apud Dominicanos optima & antiquissima
in quibus omnibus constantissima, &
sentiens Masora est ascripta. Hæc, qv-
legerit omnia, intelliget, vel temporum
reparat, vel judiciorum invidia (ut quic-
lunt, qui tamen neq; Autorem, neq; te-
mentum certum, quamobrem id fecerim
non tantam calamitatem esse allatam, q-
jus Masoræ antiquissimæ ignaros ex-
Faretur autem ibidem in Opere Regio: dilig-

